Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift

alia contra uerum plurima. et nouissime indecora dignitati. et excellen-
ti maiestati deformia. ut error fieret manifestus. Prius enim uerum
erat. et magnum uidebatur. et nouissime successit falsitas. cum ueritas
consummari debuisset. Et demonstratum est quasi lumen quoddam in parte
una. ut ibi uideretur aliquid. et erant contra dense tenebre et caligo
profunda ignorationis. ubi erroris laqueus ponebatur in captione
superborum. Et uiderent ubi lumen erat. et ubi tenebre erant uidere
non potuerunt. et ibi laqueo capti sunt. ubi propter audaciam presumptionis
sue quasi se precipitauerunt ire in illud. Manifesta sunt hec. Multa enim
illi excellentis ingenii monimenta reliquerunt. et tam multa in-
uestigatione secreta nature et abdita rerum conditarum persecuti sunt.
ut ipsam illorum efficaciam omni studio preferendam estimem. Legimus
artes. et studia. et disciplinas. et Romanorum precepta plurima. que illi
sensu suo. et ingenio dato. in hoc ipsum scrutati sunt. et inuenerunt
et scripserunt. et legenda posteris tradiderunt. Logicam et ethicam. et
mathematicam. et physicam de forma ratiocinationum. et uite et
morum. pro institutione nature decentium. de dispositione et ordine. et
causis. et prouentibus rerum omnium. Et inualuerunt in parte hac.
ut uerum apprehenderent. quoniam et hec ueritas per eos ministranda erat
que non erat adulta. quia filii uite non erant. Ideo datum est illis propter nos.
quibus consummatio seruabatur. et inchoatio parabatur. ut inueni-
rent ueritatem illam. quam oportuit suscipere filios uite ad obsequium
summe ueritatis. cuius labor ipsis appositus est. his fructus seruatus.
Et in his omnibus lumen intelligentie et acumen ingenii sensus et
uirtutem ad documenta prima perceperunt. in quibus creaturarum uim.
et modum nature inferioris secundum formam rationis insite subti-
liter discusserunt. Nouissime theologiam pro ratione diuinorum. et scru-
tatione inuisibilium. quasi consummatiuam sapientiam addiderunt. et ut ipsi